

dimense, de quo saepe deinceps, possessus, continet *Nicolai de Lira* Normanni Ord. Min. ✠ 1341. *Postilla perpetua in Biblia a Proverbiis Salomonis* usque ad finem V. T. idque sine textu, secus ac putaverat *Lambeckius*. Initium est: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter Proverb. XXII. v. VII. Secundum quod dicitur in principio libri de plantis &c.* Ad calcem *Isaiae fol. 229.* minio legitur: *Explicit postilla super prophetiam ysaie prophete edita a fratre nicolao doctore de lira ordinis fratrum minorum.* Opus hoc sub ipsa Typographiae initia saepius prelo subjectum non leve faceffit Bibliographis negotium cum editionum, quarum aliquae nec locum, nec annum produnt, diversitate, tum Voluminum numero. Nos Codicem nostrum cum edit. *Lugdun. 1545.* f. contulimus, et recte habere comperimus.

LXIX. VIII. H. 31.

760 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 207. 8. currente calamo perscriptus, et a. 1587. κτημα *Polydori de Montagnana* continet varias Lucubrationes scholasticas *Job. Ricutii Vellini Camertis O. M. Viennam* ad instaurandas literas evocati, de cuius Viri laboribus, Scriptis et de Academia nostrate meritis, redituque in urbem *Italiae natalem Camerinum*, ubi a. 1546. diem clausit, non pauca congesti in *Historia Typogr. Vienn.* vernacule edita. Procedunt vero hoc ordine:

In Cantica Canticorum Annotationes. Ad calcem scriptae dicuntur: *Sabatho Esto Mibi. Anno 1528.*

Fol. 27. *In Caput 6. Math. Annotationes.* Ad calcem: *Finitum die S. Ursule in 2 diebus in Monast. S. Laurentii. Anno 1527.*

Fol. 41. *Annotationes in Evangelium Joannis.* Ad calcem: *Finita Collectura in 6. diebus. Vigilia nempe Colomanni que erat sabatho 4 idus octobris Anno 1527. in Monasterio S. Laur. Vienne Pannonie.* Id enim Seculi hujus initio vulgo Urbis nostrae *επιθετον.*

Fol. 97. *In Apocalipsim Annotationes — prelecte A. D. 1525.* Accedit: *Sacerdotium ecclesiasticum an cunctis conueniat, Camertis sententia et assertio.* Ad calcem: *Finita nonis octobribus Anno 1527. In Monasterio S. Laurentij Vien. In vindemie tempore.*

Fol. 143. *A. d. 1527 Dictata super epistolam ad romanos.* Pertingunt usque ad *Caput IX.* Nulli in cursoriis hisce Notis *Camertis* acumen et eruditionem desideres. Addidit iis Scriptor noster librarius et alios industriae suae fructus; sequuntur enim

Fol. 181. *In Rhetoricam philippi Excerpta quaedam.* Intellige *Melanchthonis*, cujus *Rhetorica* saltem jam a. 1519. *Basileae* typis prodierat.

Fol. 197. *Excerpta in officia Ciceronis Ab D. Brassicano. Anno 1528* Alterum is est Academiae nostrae *Lumen Job. Alex. Brassicanus* seu *Koblburger Job. filius Suevo Tubinganus*, qui cum reliqua familia sua non parvam mihi paginam

facit in *Hist. Typogr. supracit.* In *Ciceronis* tamen *Officia* eum quidpiam edidisse non reperi.

LXX.VIII E. 30.

379 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 205. f. probe exaratus, forma pene quadrata complectitur *Commentaria in Pentateuchum*, quorum ea, quae in *Genesin* sunt, ad *Remigium* Monachum S. B. *Antissiodorensis* pertinent, qui vivendo et docendo Seculum X. adtigit, et de quo videndus T. VI. *Hist. Litterar. Franciae* a p. 99. Primum Cod. nostri folium Sec. XIV. restitutum sic habet: *In Nomine Domini Amen. Incipit expositio Remigij super bresith. idest super Genesin.* Eodem caractere et minio additur: *Iste liber iohannis veitmanstaler presbiteri de feustritz est.* Exponitur primo Praefatio *Hieronymi* in *Pentateuchum ad Desiderium* hoc initio: *Desiderius vocabatur episcopus quidam familiaris et amicus beati ieronimi &c.* Dein: *Incipit textus bresith idest genesis.* Sic: *In principio creavit deus caelum et terram; Auctor huius operis sicut sancti doctores tradunt. cognoscitur fuisse moyses &c.* Ultima sunt: *Delectationes in dextera tua usque in finem. Amen. Explicit Commentum Preshith.* Commentum istud a *Remigio* elaboratum solus tradit *Anonymus Mellic.* c. 66. Neque id mirum; teste enim *Bern. Montefalconio Diar. Ital.* c. 3. in *Cod. Padolironensi* *Remigio* fere coae-

vo, in quo *Commentarius* ejus in *Marcum* continetur, Titulo adjecit *Librarius: In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Nactus est tamen solertissimus *Pezius* *Codices* duos *Tegernseensem* et *Garstensem Remigii* nomine insignitos, e quibus Opus nostrum T. IV. *Tbes. Anecd.* p. I. publicaret. His itaque tertium nostrum accense. Praeter antiquiorum PP. Sententias Auctorem jam etiam *Walafridi Strabi Glossam* compilasse argumento est *Expositio* illius: *Terra autem inanis et vacua.* quae enim sequuntur: *Inutilis scilicet et infructuosa et incomposita. omnia enim elementa &c.* iisdem pene verbis in praedicta *Glossa* habentur. Ita et e *Rabani Comment. in Genesin* totum locum ultimum a C. L. v. 23. suum fecit, ut conferenti patebit. Quare, nisi testimonium *Anonymi Mellic.* et trium *Codicum* obstaret, facile quis omnem hanc *Geneseos* expositionem *Walafrido Rabani* discipulo adscribe- ret, motus maxime sequentibus.

II. fol. 52. *Incipit Prologus Subsequentis Operis. Libri Exodi.* Audi Praefamen. *Huius libri quam subiectam cernis explanatiunculam. domnus brabanus de dictis sanctorum augustini hieronimi isidori gregorii. et domni bedę. et aliorum sanctorum venerandis congregans suis discipulis (Fuldae) auctoritate tradidit catholica.* Quorum ego ultimus *strabus* ipsam quanta potui brevitate ne penitus de memoria laboretur. notavi. humiliter lectorem depo-